HONORE CORONATA
IN EMINENTISSIMI
EVERARDI
CARD. NIDARTI
PVRPVRA.

ROMAE M.DC.LXXII.
Ex Typographia Nicolai Angeli Tinaſſij.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentiſsimo ac Reuerendiſsimo

PRINCIPI S. R. E. CARDINALI EVERARDO NIDARTO.

FAS mihi per te PRINCEPS EMINENTISSIME quærere in PVRPVRA Muſis Decus, Præſidium Vati. Inferiora Cœptis ſuis carmina humile quid aut aſperum fortaſſe ſonabunt auribus limatiſsimis tuis, ſed inuiſa gaudijs ſilentia, lætitiam vel ſtrepenti plauſu commendant. Geſtorum Tuorum Imaginem cernes non expreſſam illam quidem ſed adumbratam, dum Modeſtiæ tuæ Muſarum litat audacia, & Faſcibus & Dignitatis, & Ingenij latè ſummotus formidat ſtylus de-

terere magna auſu exiguo. Nam quis HISPANIAM conſilijs Aſſertam: ROMAM Legatione exultantem: Auguſtiorem per te PVRPVRAM: ORBEM Reum tibi Votorum Reum Gratiarum digne ſcripſerit? Ire in Tuorum Laudes pronum etiam grandita te materiæ, ſed quid priuata laudatio relatu temeret DOMVS NIDARTAE auita Decora, quæ ſanctiùs ipſius FERDINANDI III. ſemper Auguſti Imperatoria voce Orbi, æuo ſunt conſecrata. Adde quod prodiga animæ inter arma ſeries Gentis longiſsima, & fœnerati Bella in Hæreſim Duces Auitarum Dynaſtiarum iacturâ, non alijs pulchriùs effloreſcere auent lineamentis, quàm cruoris: aut alijs par eſt ambiri ornamentis quàm perituræ vocis contemptu. Imparem habes EMINENTISSIME PRINCEPS vel auſis ſuis vel honoribus tuis ſeruulum? animis certè non indignum: Hunc Tu vel ſemel Indulgentiſsimus reſpice, æterni damnaturus obſequij. Vale.

EMINENTIAE TVAE.

Deuotiſſimus famulus
Ioannes Thomas Vigo.

CREDIDIMVS Cælo VIRTVS proſpectet ab alto;
Et terris ſua Regna ferat! NIDARTVS honorum
Accendit meritis humeróſq; interplicat OSTRVM,
Votum ingens Populorum, & quos lauit æquore Mauro
In Tarteſſiacis fluctus pretioſus arenis,
Siue impacatis quos Belliger alluit Iſter
Vorticibus. Te CLEMENS, Te & tua Sydera adorat:
Ante omnes damnata ſuis HISPANIA Votis;
Abſoluitque moras, & quam terna oppida ſcandunt [1]
Inclinat frontem, ac Regnorum Syrmate vtrumque
Ponè trahit, plauſúque iubet ferueſcere Mundum
Quem regit: expectata diu ſua Gaudia rumpit
Vocibus inſolitis, & ad Æthera murmura mittit
Princeps Roma: tonat lætus fragor: ardua voces
Accipiunt, reddúntque iugis iuga: Thybris ouanti
It fluctu exultans; & feſtis crinibus ignes
Florent in flammas, radiorúmque imbribus ardent:

 Pen-

1 *Regni Caſtellæ insignia Turres, quibus Hiſpania noua Cybeles tot Regnorum Parens coronatur.*

Penſilibúſque pluit ſtellata Galaxia flammis,
Ac Cœlum vult omne ſuum: dum plurima Noctem
Iris obit gyro; gemitúque, animáque dolentis
Inuidiæ ſtridet rogus, atque euentilat ignes.

Fas mihi fatorum totis aperire receſſus
Gentibus, atque omnes excire in gaudia cauſas.
Panditur Æternum reſerato limine Templum
VIRTVTI SACRVM: Circùm coma conſcia falcis
Exhilarat per damna Nemus: ſtant otia longè,
Nec luco conceſſa quies: Inde ardua tollunt
Saxa gradus; ſeruántque fores meritúmque, labóſque,
Vnà operum felix Induſtria, & artis Egeſtas
Inuentrix, pacíſque bonis, bellíque per vſus
Aſſuetæ duro vigilant in limine curæ.
Summa patent: nulli ſtrident in Cardine Poſtes,
Nulla peregrino laſciuit teſſera cultu
Ementita decus, phrygióue ſuperbit in auſu.
Maieſtas natiua loco, quam cernuus ambit
Molè Adamas, ſolidóque domum teſtudinat arcu
Lucidus. Huc Cœlo greſſus delapſa ferebat
Luſtratura locum, & rerum argumenta legebat
Candida perſpicuà fulgens in cyclade VIRTVS.
Adglomerant lateri Pudor hinc, Probitaſque nocentes
Auerſata dolos, dubijs Prudentia ſollers

Rebus,

Hinc Recti deſuetus amor, rariſque recepta
Incorrupta Fides, & nullis neſcia flecti
Muneribus, rigidíque Themis comes ibat Honeſti.
Ponè Honor, & tardo comitatur Gloria greſſu.

Stabant arguto centum ſimulachra metallo
Nomina magna Virum, & meritos teſtata triumphos
Obſcuro ſed vera latent Ænigmate, & vni
Agnoſcenda Deæ; multáque ambage laborant.
Nam quod quiſque animo fatum durauit iniquum
Fortiùs, aut Hominum tentauit grandius auſu,
Illic Phidiaco ſculptum pretioſiùs Ære
Cernitur: Æterni ſeruant emblemata Faſti:
Illa latent, violántque ſuas ad aperta tenebras
Qualis ſæpè, redit primo cum Phœbus Eoo;
Parte nitet, partem denſo premit aere nubes
It circum titulos, & in omni laude moratur
Lætaturque tuens; nullo at DEA ſtemmate tantùm
Siſtitur, ardentíque aduertit lumina viſu
Ignea, quàm celſa conſpectu in Rupe tenetur.

Illa velut pelagi rupes ſecura frementis
Fluctibus arbitrium per procurrentia ſaxa
Innatat & domito celſum caput Æquore tollit;
Non vndis, non pulſa Notis, non fulminis igne

It minor, Oceaníque minas, Cœlíque tumultus
Naufragat ad ſcopulos, & Bellum ſpargit in auras.
Saxa ſonant, fractiſque cadunt cum Montibus Vndæ.

Heroa agnoſcit, quem Veri, Æquíque tenacem
Infixúmque bonis, non Vulgi mobilis ardor
In commune Nefas, non ſæui iuſſa Tyranni
Inſtantéſue minæ eruerint; non ſi arduus axis
Igne tonet; magnóque Orbis turbante tumultu
Corruat in præceps, & ſparſos miſceat artus;
Vllæ Degenerem valeant ſpectare ruinæ.

Te vnum NIDARTE, & tua Cœlo didita fama
Geſtáque, Nomináque, rerúmque ingentia mente
Miratur voluens, & ſe ſe agnoſcit in illis.
Namque videbat, vbi non mutatura receptum
Aula Virum fremerétque aſſueta Potentia magnas
Degenerare animas: Contra ille immotus & æqui
Perſtat amans, ac iura niſi temerata Potentum
Fas odijs factura colit: non vnius hoſtis
Integritas fecunda placet: non diuite aceruo
Anguſtantur opes; nec inani Gloria plauſu
Irrepit, partémque ſibi furatur Honeſti
Diuiſitque Virum; ſed ſe ſibi reddit auaris
Intactus curis, Maieſtatémque fauendo
Explicat, & comi, *Imperium*, grauitate ſerenat.

Nec

ambitioſa potentum
Fulta fide, regnoque grauis, non ære paratis
Præſidijs, opibúſque inſana minantibus inſtat.
Indulget ſceleris veniam ſibi, iuráque quærit
Nemo Inſons: Ingens aliquid qui pallet, & audet.
Et fors aurato rediens à limine Phœbus
Tertius aduerſum curru quatiebat Olympum,
Annua non æqui relegens veſtigia Fati,
Extulerátque diem, qua magna ceſſit ab Aula
Maior ab egreſſu, Deſideriúmque relinquens
Ipſe ſui: It fato maior, lætóque dolentes
Caſtigat vultu: Fortis ceu Regulus inter
Attonitam Plebem, inconſolatóſque Propinquos
Plenus abit Fidei: Ceu magni conſcius acti
Tullius erepto damnauit Conſule Romam
Seceſſitque Pius. Non vllo turbine tantùm
Quid Virtus, eſt noſſe datum. Facit aula nocentem
Quem probat: Atra malis ſi deſint crimina terris
Tollitur exemplum validæ Virtutis, & audax
Lætho animam Robur, meritíſque impendere Famam.
Mirandum viſu Recti ſcelus: omnibus vltro
Exutum, & nullo rerum ſuadente paratu
re inopem tanto è Regno; vultúſque ſerenum
Fortunæ neſcire ſuæ; non æris aceruos

De-

Defoſſas reſpectat opes, qurùmque repoſtum.
Diuitias facit ipſe ſibi; Sic omnia Nudus
Diues ab euerſa Stilpo ſe ſe extulit Vrbe
Secum cuncta trahens, & de Victore triumphans.
Indoluit Viſu; nec iam ſua munera differt:
Et tardum Dea verſa gradu compellat HONOREM
Vocibus his. Age? Nate meorum exercite faſtis?
Vade age? pande fores? tua tu templa aurea, portas
Per centum patefacta cie? nulla oſtia ceſſent.
O nimium dilatus HONOS? Ad limina per me
Si tua ſunt aditus [2] EVBRARDVM admittier æquum
Dudum erat, & ſcis ipſe, acres ſat longa per vſus
Tentamenta Viro pepigi, cum ſortis acerbæ
Obieci nubem, atque odiorum turbine Nimbos.
Cernis vt atra dies Cœlo redit? annua duro
Limite fata ferens: Tanto quid Cardine rerum
Ceſſatur? nunc omne Viro Decus addere, & ipſum
Tempus erat trabeis, tyrióque incedere cultu. [3]
Quæ mora nunc? melior iam ſe lux vertit acerbam
Luſtratura diem: Fatorum voluitur ordo
Pulchrior. I? Da? Templa tholo maiore receptus
Augeat, & centum vibret obuia lumina portis

Con-

2 *Alluditur ad templum à Marcello Honori ædificatum ad quod non niſi per Templum Virtutis aditus dabatur.*
3 *XXII. Februarÿ qua die Madrito exceſsit creatur Cardinalis.*

Inter RICHELIOS, aſſertoreſque XIMENES.*

Dixerat & Magni ſe ſe CLEMENTIS in altam
Demiſit mentem, penitúſque in pectore ſedit.
Accepit, Superum mentem, PATER: Illicet oſtro
Sidonio flagrans, & nota maior Imago
Occurrit, fingítque virum: nec iam mora: totis
Illum animis, illum complexus pectore: certa
Mente legit Trabeis, nec ſe ſententia vertit,
O quales habitura moras! Compendia tanti
Nulla forent: votum viſum eſt immane repulſa!
Nunc mora pro fato; & longùm differre querentes
Culpamur; [4] neque enim venturam diſtulit ille
Lætitiam cenſu quiſquis maiore rependit.
Credite lætitiam mora fœnerat, illa futuris
Auſpicijs gaudiorum, & pleno credita Voto eſt
Expectata dies, quæ te magnæ intulit Vrbi
Prima EVERARDE parem. Qui rerum dignior Ordo,
Mirandæque Vices! redit idem Phœbus olympo
Et neque diſſimilem ſe nec cognoſcit eundem.
Maiorum ſi certus honos, aſſertáque MAIO [5]
Maieſtas à menſe venit; bene tempora conſtant

FE-

* *Cardinalis Ximenes ſummæ in Hiſpania apud Ferdinandum auctoritatis fuit vnus mens regni, ac Regis.*

4 *XVI. Maij qua luce Romam primum eſt ingreſſus promulgatur Cardinalis.*

5 *Ethimologian* Maij *menſis ab aſſerta Iouis* Maieſtate *contra inanes Gigantum metus vel ab honore maioribus decreto deducit Ouidius 4. Faſtor.*

FEBRVA Romanis [6] dicenda piamina faſtis.
Deſtinat hic, illo celebratur PVRPVRA menſe.
Et qua ſi non poſſet tantos lux vna triumphos
Ducere, ſeu vellet caſus abolere priores
Diuiſit menſes, & criminis exuit annum.

Atque vtinam aut Thracum remoratos flumina cantus,
Aut Amphionios mirandi carminis auſus,
Ductantémque lyram ſcopulos, daret Enthea Vati
Vis, & Echionias canor imperioſus in Arces.
Quas ego non moles? Quo non ex marmore Templum
Extruerem? quanto per Cælum creſceret arcu
Iam tibi carminibus meriti Domus omnis HONORIS
Structa meis? circúmque irem vacua atria cantu.
Queis Pharos, & Pharium propter ſurgentia Nilum
Alta Parætonij cedant ſimulacra ſepulchri.
Et Cælo Rhodos ingeſta, & ſi quæ ardua creſcit
Fulminibus mora, Pyramidúmque audacia ſaxa.
Viueret & Cœlo Paros eruta: plurimus vnam
Cæſus in effigiem lapis immortale ſacraret
Luminibúſque animíſque caput lactantior iret
Iſter aquis, tantóque Vrnam celaret Alumno.
Legatúmque ſibi Thybris, [7] latiíque fluentem

Elo-

6 *Februarius dicitur ab expiatione, & piaminibus quæ tunc temporis celebrabantur. Ouid. 2. Faſt.*
7 *Alluſum ad munus Legationis ad Summum Pontificem quâ lætiſſimis animis, & plauſibus præſens exceptus, atque ad auream latij ſermonis quâ flores vbertatem.*

Ambiret fluctu, decertarétque minori
Quæreret amiſſum toto Tagus aureus alueo.
Auſi etiam horrentem, flammis, & vincere ferro
Anguigenum turbam capitum; Exitiale Nocentis
Cocyti Portentum, & Creſcentem Hæreſis Hydram.
Armati ſtarent Ataui; totúmque iuberem
In Chalybem frondere Genus; clypeata Virorum
Progenies, Patriæ votâ Hoſtia, viſa Gradiuum
Metiri damnis, & habere ſtipendia, rerum
Detrimenta ſuarum, & hiantes ictibus artus.
NIDARTVS PATER hic, & eadem ab origine Gentis
NIDARTVS FRATER [8] Mauortia pectora bellis
Inclyta, mille Duces, quorum ferrata renidet
Haſta manu, multáque Caput crinitur Idume;
Atque hic ardentem bello, magníſque furentem
Bellorum auſpicijs (claræ nam lecta Iuuentæ
Dura rudimenta, & primis ſudata ſub annis
Bella EVERARDE tibi) [9] dirum portaret Anhelus
In Martem Sonipes, rigidóque induceret ære
Et Thaſos, & Themeſe non ſuffectura metallis.

Pro-

8 *Ferdinandus III. ſuo Diplomate plurima priuilegia conceſsit Illuſtriſsimo Leopoldo Teophilo Cardinalis Nidarti Fratri Germano. Vbi excelſe commendat Ioannem Nidartum eiuſdem Eminentiſsimi Patrem, Totamque Progeniem optime fatetur meritam de Imperatoria Auſtriaca Domo ab vſque Maſsimiliani Primi temporib. [illegible]*

9 *Sub iuuenilem tamen equitum turmas ipſe ſuo ære conflauit Duxitque in Hæreticos Perduelles. Indeque Societati Ieſu nomen dedit.*

Proxima cui fuluo Pietas ardentior auro
Injiciétque manum, greſsúque occurret anhelo
Ceu reuocet: nec ſigna ſuis ferat obuia ſignis.
Et iam ſæua rapit multum exhauſtura cruoris
Tela manu; patrióque animos tranſcribit Olympo.
Ante fores, medio Signum Venerabile Templo
Staret Ebur, nitido moles trabeata metallo,
In manibus litui, frontíſque inſigne decoræ
Candida purpureo violabitur Infula fuco.
Addam viuida lumina, & ori erit igneus ardor,
Et confine tenens pulchri grauis aura Modeſti.
At Peſtes Erebi Diras, immania monſtra
Deſuper inſiſtet moles grauis: eruere atra
Tendet colla Furor, quem circum Inſania Belli,
Et Nutrix ſcelerum Impietas, & fraudibus audax
Ambitus,& ſcabra viuax rubigine Liuor
Innexum rigidis mandent Adamanta catenis.
Nunc quoniam noſtris decedunt irrita Votis
Carmina, & imbelli tenuantur grandia cantu
Ite Fides? maior conſumit Laurea laudes.
Et Regum ſibi poſcit opes opus. Extruet illud
Extruet,& tanta vires dabit Indole dignas
Cum maior cordi vigor, & venientibus annis
CAROLVS Auſtriadum,qui nunc ingentia Sceptri,

Ma-

per terras, ſuperexaltatus & vndas
Bellorum ſtrepitu, laturiſque arma Gradiui
Tempeſtate tonans, tam fulmina mittet in hoſtes
Arſuráſque faces, quam ſe tibi ſubdet ouantem.
Et quantum ſummis erit ille Ingentior actis,
Tantum tu cunctis, ſò quam virtute parata
Inuidia, populíſque, & fato admirante ſubiſti
Rumpe viam felix, ADVERSAQVE VINCE MERENDO.

FINIS.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbinaten. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatij Apoſt. Mag.